XXII. Theſis Quæſt.

Quando Tridentinum (1) damnat hanc propoſitionem Calvini : *Liberum arbitrium, motum a Deo, non poteſt diſſentire ; damnat illam in ſenſu, quo a Calvino aſſerebatur ; alias nihil, quoad hoc, egiſſet contra ipſum : cum tamen conveniſſet ad illius errores proſcribendos, inter quos ille capitalis erat. Atqui propoſitio illa aſſerebatur a Calvino, intellecta de præmotione phyſica, ut ſenſus illius eſſet : Liberum arbitrium, motum a Deo per præmotionem phyſicam, non poteſt diſſentire : illam enim præmotionem, dicebat, tollere libertatem, non autem motionem ſimultaneam, vel gratiam prævenientem moraliter, ut etiam fatetur Suarez, (2) & alii. Igitur anathema dictum eſt aſſerenti hanc propoſitionem : Liberum arbitrium, præmotum a Deo phyſice, non poteſt diſſentire, ſive non manet liberum : ſed illam propoſitionem veram eſſe, contendunt aſſertores Scientiæ mediæ, negant vero alii, ergo &c.*

Adverſus theſim hanc 22., & ſequentes objiciunt, quod Auctor inciderit in cenſuras, latas contra illos, qui edunt quicquam in publicum, quo attingatur ipſa quæſtio de auxiliis Divinæ gratiæ, hoc eſt, de illorum efficacia.

Nos etiam hic manum abſtinemus ; ſi tamen liceret Auctoris cauſam agere, non aliis uteremur excuſationibus, quam reprehenſorum. P. Viverus in libello, cui titulum fecit ; *Tela ingeſta regeſta*, excuſat P. Tannerum, & P. Mæratium, *Quia*, inquit, *moniti, parati fuiſſent deſiſtere*. P. Paulus Leonardus hoc anno 1644. ſcripſit ſuas excuſationes p. 3. nu. 57. Illum eſſe Jeſuitam, (quamvis id diſſimulaverit in titulo libri) colligitur ex p. 1. nu. 53. p. 2. nu. 3. & 30. ac denique ex p. 3. nu. 62. Scripſerunt præterea de hac ipſa materia Theophilus Raynaudus, Eugenius Philadelphus, hoc eſt, teſte Petro Aurelio, P. Hennatus, ſive Annatus Caturcenſus ; P. Petavius, hoc ipſo anno, adverſus Janſenium, & tot alii. Sed quid, quod cum ultima Bulla, quæ omnes de his rebus libros edere in lucem (ut dicitur) prohibet, ipſi ſuas Theſes Lovanienſes Pariſiis typis mandari curarunt ? Quis manifeſtior eſſe potuit Mandati contemptus, quam ipſum promulgando violare ? Nec vero eſt quod Auctor ad has omnes excuſationes recurrat. Theſes compoſuit de his rebus, quas ipſi quotannis in publicis poſitionibus diſputandas proponunt. Non dubitamus, crediḍiſſe auctorem, poſt tot virorum religioſorum, & doctiſſimorum Caſuiſtarum exempla, idem ſibi licuiſſe, præſertim cum modeſtia, a ſcommatis, dicteriis, facetiis, etiam rebus ſacris intermixtis, abſtinendo ; quod & nos præſtitimus, & doluimus ex animo, reprehenſores hunc morem non eſſe ſecutos : quicunque illi fuerint, ignoſcat illis Deus. Nos ad ſimilia quamvis regerere in promptu eſſet, ſi liceret ; ſi deceret, nunquam reſpondebimus, niſi ſilentio.

XXIII. Theſis Quæſt.

Quando Tridentinum definit, *liberum arbitrium, motum a Deo, poſſe diſſentire ; per particulam,* motum, *intelligit vel motionem moralem, vel phyſicam ſimultaneam, vel phyſicam præviam, vel omnem omnino, qua homo indiget, ut agat, quæcunque tandem illa ſit. Duo priora dici nequeunt ; alias nihil actum foret, quoad hoc, contra Calvinum, qui nunquam aſſeruit, motionem moralem, vel phyſicam ſimultaneam impedire uſum libertatis : inepte etiam uterentur illo canone Moliniſtæ adverſus præmotionem phyſicam, cum de illa non intelligatur. Reſtat ergo, quod intelligatur de phyſica, vel de illa, quæ eſt neceſſaria, quæcunque ſit. Si primum eligant ; igitur hæc eſt propoſitio, definita a Concilio : Liberum arbitrium, motum a Deo præmotione phyſica, poteſt diſſentire, & remanet liberum ; quam tamen illi negant.*

Theſim 23. ex Dialectica arguunt n. 12. quod disjunctivum ſyllogiſmum unimembrem auctor in ea protulerit.

At profecto incidere illi in theſim non correctam : nobis correctior contigit, quæ duo membra apponit. Neque difficile erat, id ex ſequentibus colligere : nam auctor duo membra proſequitur ; primum, omiſſum errore Typographi, & incuria correctorum, in eadem Theſi vigeſima tertia ; ſecundum, in Theſi ſequenti vigeſima quarta. Quare de facili non tam mali Dialectici hoc fuiſſe erratum, quam Typographi, colligere potuiſſent.

XXIV. Theſis Quæſt.

Si autem velint, *Canonem illum intelligi de motione quacunque neceſſaria ; idem ſequitur : nam vel PP. Tridentini noverant, Calvinum ex præmotione phyſica inferre, quod uſus libertatis tollitur, vel non noverant : hoc ſecundum dici nequit, ſine gravi injuria PP. Tridentinorum, qui damnaverint incognita ; & patet, eſſe falſum, ex diligenti illorum ſtudio. Igitur noverant. Vel ergo judicaverunt, antecedens illud eſſe falſum, & hæreticum, vel illationem eſſe erroneam, & illegitimam. Non primum ; alias obligati fuiſſent ad illud proſcribendum formaliter, & conceptis terminis ; cum antecedens, ex quo per legitimam conſequentiam infertur conſequens hæreticum, ſit etiam hæreticum. Ergo judicarunt, conſequentiam eſſe ſpuriam, & erroneam : quod etiam modus, quo loquuntur illo canone 4., ſatis oſtendit. Atqui hanc conſequentiam legitimam eſſe, affirmant Moliniſtæ. Ergo, &c.*

XXV. Theſis Quæſt.

Vel Tridentinum admiſit, *præmotionem phyſicam non tollere libertatem, vel admiſit Scientiam-mediam, cum Suarez, (3) & alii fateantur, alterum e duobus admittendum eſſe, ut nos expediamus ab argumentis hæreticorum. Atqui Tridentinum non potuit admittere Scientiam-mediam, quia anno* 1547., *quo hac de re actum eſt, nondum fuerat e tenebris eruta : hoc enim non contigit ante annum* 1559. *ex Molina, & Fonſeca.* (4) *Igitur Tridentinum admiſit, prædeterminationem phyſicam non tollere libertatem : hoc autem negant Moliniſtæ : ergo, &c. Adde, quod, ſi Molinam audiamus dicentem,* (5) *admittendam eſſe ſcientiam-mediam, niſi, inquit, turpiter hallucinari velimus, neceſſe fuerit dicere, BB. Ignatium, Xaverium, &c. immo quotquot, ante ſcientiæ mediæ inventionem, hæreticos impugnarunt, ipſos etiam PP. Tridentinos, turpiter fuiſſe hallucinatos.*

In 25. Theſim inſiliunt, ex eo quod auctor, ex dicto Molinæ, quo ait, debere nos ſcientiam-mediam admittere, niſi turpiter hallucinari velimus (quam tamen ſcientiam a ſe inventam, profitetur) ſequi aſſeruerat, BB. Ignatium, Xaverium, &c. fuiſſe hallucinatos, ſcilicet (inquiunt reprehenſores) in ſuis ad Magiſtrum commentariis.

(1) *Seſſ. 6. can.* 4. (2) *Primo de concurſu Dei, cap.* 11. (3) *Lib.* 2. *de ſcient. condit. c.* 4. *num.* 5. (4) *Sup. cit.* (5) 1. *p. q.* 14. *art.* 13. *diſputat.* 7. §. *His ita.*

Non ſane ; neque arbitramur, eruditum auctorem latuiſſe, Beatiſſimos illos viros, aliis operibus deditos, commentaria in Magiſtrum non edidiſſe ; ſed ſolum voluit, fuiſſe hallucinatos in ſuis adverſus hæreticos, & infideles concertationibus : non enim minus verbo, quam ſcripto poteſt quis hallucinari. Et profecto, non uſos ſanctiſſimos illos Patres ſcientia media, ad propugnandam arbitrii noſtri libertatem adverſus novas hæreſes, ſatis videtur conſtare ex eo, quod P. Leonardus Jeſuita refert, primos Societatis diſcentes cum Dominicanorum Scholas peterent, ut P. Herice inſinuat tract. 3. diſp. 25. cap. 2. in fine, ex eorum fontibus potaſſe phyſicam præmotionem, & modum futura contingentia cognoſcendi, quæ ab hypotheſi dependent ex decretis prædeterminantibus. Atque adeo conſtat, omnes illos primos Patres fuiſſe hallucinatos.

XXVI. Theſis Quæſt.

Hanc Concilii mentem collegimus etiam ex Cornelio Muſſio, *(1) qui 6. Trid. ſeſ. ordinavit, cum auditorum admiratione tanta, (inquit Poſſevinus Societatis) (2) ut PP. omnes uno ore clamarent, S. Spiritum mirabili modo in eo fuiſſe operatum. Idem conſtat ex Lippomano, (3) Catharino, (4) Romæo (5) Seripando, (6) Soto, (7) Vega, (8) Salmerone (9) aliiſque PP. Conc., quorum nullus meminit ſcientiæ mediæ. Immo omnes illius fundamenta evertunt ; præmotionem vero phyſicam docent, ſicut & plures ex Societate, qui memores moniti B. Ignatii ad tres PP. Societatis, in Concilio exiſtentes, noluerunt ſententiam Molinæ amplecti, utpote novam. Sic Patres Societatis Colonienſes (10), Pererius (11), Toletus (12), Henricus Henriquez (13) ; Mich. Marcus (14), Azorius (15), immo & Bellarminus, (16), ſincerus, & non adulteratus, & alii.*

Tria in hac Theſi 26. reprehendunt 1. quod citaverit Auctor Lippomanum pro mente Concilii, qui tamen ante Concilium ſcripſerat.

Verum attendenda fuerat Auctoris intentio, qui Tridentini mentem, ac ſenſa indagaturus, auctores, qui 6. Seſſioni illius ſynodi interfuere, velut in teſtes, citavit, quorum alii mentem ſuam, prius quidem ſcriptis traditam, in Concilio haud dubiam propoſuerunt, & explicarunt, dum hæc quæſtio ventilaretur, per quatuor fere integros menſes, neque poſtea retractarunt. Alii vero in ipſo ampliſſimo PP. conſeſſu didicerunt, eamque poſtea docuerunt. Inter primos fuit Lippomanus, quem non dixit auctor, ea in Concilio audiviſſe ; cum anno 1546. opus ejus fuerit editum. Sed profecto, multo juſtior fuerit auctoris querela in reprehenſores, qui, ubi num. 33. laudarunt Romæum, (ea fide, quam poſtea oſtendemus) ſubdidere : Hæc Romæus in Tridentino audierat : cum tamen Romæus opus illud De libertate operum jam edidiſſet anno 1538. ut patet ex Antonio Poſſevino Societatis, in Apparatu ſacro lit. F. Quare, ſi hallucinatus ſit auctor, minus ſane erravit, quam reprehenſores : ille non uno anno integro ; hi vero ad minus annis octo : ille non dixit, Lippomanum hæc in Concilio didiciſſe ; ſed potius intellexit, hanc doctrinam in Synodo tradidiſſe ; hi vero ajunt, Romæum hæc in Tridentino audiviſſe : qui lapſus duplo craſſiores ſunt, Deo, ſic parum benignam reprehenſorum in arguendo licentiam, tanta cæcitate ulciſcente, ut ipſi graviora peccarint, quam, quæ reprehendere conabantur.

At videamus jam de ſecundo, quod arguunt. De ſincera aliorum auctorum citatione volunt, ferri judicium ex duobus, Romæo nimirum, & Soto. Acceptamus conditionem : &, ne parum grati videamur, his volumus adjungere Salmeronem, additurі etiam ex eadem Societate alium, ut eſſet perfecta retaliatio, ſi in illa 6. ſeſſ. fuiſſet, cujus opera ad nos perveniſſent. Ejus loco Henricum Henriquez proferemus. Itaque, ut probent, auctorem non bona fide citaſſe Romæum, & Sotum, minime proferunt loca, ab auctore citata, ſed alia : Romæi locus, ab auctore laudatus, eſt Veritate ſeptima ; is, quem ipſi citant, habetur Veritate octava. Soti locus, quem citat auctor, exſtat cap. 16. lib. 1. de nat. & grat. ipſi afferunt locum ex cap. 15. & ex fine lib. 4. Sententiarum. Optimus ſane, & laudatiſſimus modus arguendæ malæ fidei alicujus, ſed adeo mala fide, quam fuerit Auctoris optima. Eſt & aliud vitium in citatione Romæi, nam, ſequendo Paulum Leonardum Jeſuitam, decepti ſunt, ſumentes pro Romæi ſententia, quod ipſe ſibi objicit, ac ſtatim ſolvit : quæ hallucinatio tam gravis eſt, ut, ſi talem in auctore reperiſſent, plane illum dicteriis obruiſſent. Ut autem bona fides auctoris, & mala reprehenſorum appareat, utrumque locum Romæi ſubjicimus. Primus quem citavit Auctor, eſt, ut diximus, Veritate 7., ubi, cum dixiſſet, Deum omnium actionum etiam liberarum cauſam eſſe, non partialem, ſicut ſunt duo trahentes navim, ſed perfectam, ſtatim explicat modos, quibus Deus dicitur, & eſt cauſa cujuslibet actionis. Primo, quia dedit virtutem agendi. 2. Quia illam conſervat. 3. In quantum, inquit, applicat collatas, conſervataſque virtutes. 4. Et ob id potiſſimum dicitur Deus omnium opera operari, quia, in virtute operantis Dei, unumquodque operans operatur. Unde Proculus, illuſtris Philoſophus : *Virtus*, inquit, *Primæ cauſæ plus influit ſuper effectum cauſæ ſecundæ, quam virtus ipſius cauſæ ſecundæ* ; plus, inquit : ac ſi dixiſſet, immediatius, prius, intimius, efficacius, ut ſolemnes exponunt Philoſophi. Hæc Romæus. Præterea conſulant ipſum reprehenſores Veritate 16. : videbunt, quantum ipſis faveat.

Secundus locus, quem citarunt reprehenſores, habetur ſub finem Veritatis 8. Dixerat antea, & probaverat Romæus, ex efficacia Divinæ cognitionis, & voluntatis res eo modo evenire, quo Deus ſcit, & vult eas, evenire. Solverat argumenta in contrarium per diſtinctionem ſenſus compoſiti, & diviſi. Docuerat realem omnium rerum præſentiam in æternitate. Conciliaverat libertatem arbitrii noſtri cum efficacia Divinæ cognitionis, & voluntatis per hoc, quod cauſæ univerſali, qualis eſt Divina voluntas, debet correſpondere effectus univerſalis, non particularis, qualis eſt neceſſitas eventus, aut contingentia. Unde intulerat, ex eo quod Deus velit, vel ſciat, aliquid futurum, non ſequi, determinate illud fore neceſſario, ſed ſolum futurum eo modo, quo Deus vult, illud eſſe futurum ; vel neceſſario, ut in cauſis naturalibus ; vel contingenter, aut libere, ut in aliis. Quo etiam modo utitur Cajet. 1. p. q. 22. ar. 4.

(1) 1. *ac Div. hiſt. c.* 15. & 17. (2) *Apparat. verb. Corn.* (3) *In Exod.* 3. *in Gen. c.* 50. (4) *Lib. de præd. & provid.* (5) *De lib. operum verit.* 7. (6) *In c.* 9. *ad Rom.* (7) *De nat. & grat. cap.* 16. (8) *De juſtific. q.* 11. (9) *Diſp.* 19. *in Ep. ad Rom.* (10) *Dial.* 2. *de Hom. pag.* 36. (11) *Lib.* 8. *de princ. nat. cap.* 8. (12) 2. *Phyſ. c.* 3. *tex.* 38. *q.* 8. *ann.* 54. *in Luc.* (13) *Lib. ult. de fin. hominis a c.* 3. *ad* 11. (14) 1. *p. q.* 23. *ar.* 7, & 3. *p. qu.* 86. *ar.* 1. *dub.* 1. (15) *Lib.* 1. *Inſtit. Mor. cap.* 17. *qu.* 7. & 8. (16) *Lib.* 4. *de grat. & lib. arb. cap.* 14. & 16.

citatus, & reprehenſus n. 18. ab adverſariis, & Corn. Muſſus in c. *9.* Ep. ad Rom. Hæc vero omnia, tam aperte placitis reprehenſorum adverſantia, ubi præſtitit Romæus; quia manifeſte docuerat, Divinam cognitionem eſſe cauſam rerum, in fine ait: „ Illud demum non prætereundum, quod, ſi ad antiquos Doctores te convertas, reperies, fere omnes in hanc unam conveniſſe ſententiam: videlicet, non ex hoc, quod Deus ſcit, aliquid futurum, idcirco futurum eſt; ſed quia futurum eſt, Deus novit, qui præſcius eſt futurorum: ſic enim loquitur Hieron., &c. Et ut conſtet, illa per modum objectionis afferri, ſtatim ſanctos illos Patres explicat, dicens: „ Juxta hanc igitur loquendi formam, non ea mens fuit Patribus noſtris, quod res futuræ ſint cauſæ quoquo modo Divinæ erga ſe præſcientiæ (cum eminentiſſimus Deus a rebus ipſis nihil accipiat) ſed ea duntaxat intentione, atque conſilio hunc aptaverunt loquendi modum, ne ſcilicet puraret quis, ex Divina præſcientia rebus præviſis vel neceſſitatem induci, vel libertatem auferri: Circa quæ advertendum eſt, optime dixiſſe Romæum, res futuras non eſſe quoquo modo, ideſt, ullo modo cauſas ſcientiæ Divinæ, ut indicaret, nulla prorſus ratione ſcientiam Divinam ab his creatis objectis pendere, etiam tanquam e conditionibus; ſed potius, illa eſſe ejus effectus. Quare dixit, mentem Patrum ſolum eſſe, quod ſcientia Dei nullam rebus præſcitis neceſſitatem inferat. D. Thom. 1. p. q. 14. ar. 8. in primo argumento, cum ſibi eadem loca Patrum objeciſſet, ſolvit dicens, illos locutos eſſe de ſcientia Dei, ſecundum communem rationem ſcientiæ, cui ratio cauſalitatis non competit; & quando ajunt, ideo Deum ſcire, quia futurum eſt, verum eſſe vi conſequentiæ, non vi cauſalitatis; hoc eſt, illam conſequentiam: Deus ſcit futurum; ergo illud erit, eſſe optimam: cauſalem vero eſſe veram, quia futurum non eſt cauſa ſcientiæ Dei, ſed potius e contra. Mirum ergo eſt, quod, cum hoc legant, & profiteantur reprehenſores ſe diſcipulos D. Thomæ, hæc auſint Thomiſtis opponere, quæ ipſe ſibi D. Thomas oppoſuit, & ſolvit.

Jam veniamus ad Sotum, in cujus citatione non minores lapſus reprehenſorum videbimus.

In primis dicunt, illum aſſerere cap. illo 15., damnatam eſſe doctrinam nedum Calviniſtarum, ſed etiam quorundam Catholicorum de gratia efficaci: qui vero illi fuerint, inquiunt, conjiciat, qui volet ex eo, quod ſignificat, ſe contra illos diſputare ſolitum, ac reclamare.

Intelligimus ſatis, quid ſibi velint. Volunt, Sotum denotare fratres ſuos Thomiſtas: ſed profecto male. Nam ibidem duo ait, quæ ipſis nequeunt competere. Primo ſignificat, illos, non ſcriptis, ſed viva voce, ſuam ſententiam docuiſſe: quod de Thomiſtis intelligi non poſſe, vel ex ipſo Soto ſtatim probabimus. Secundo non loquitur Sotus de aſſerentibus utcumque gratiam efficacem, ſed de aſſerentibus illam cum tali vi, ac neceſſitate, ut in noſtra nos converſione mere habeamus paſſive, ac receptive: quod nemo Thomiſtarum unquam aſſeruit. Qua in re profecto bilem pene movit reprehenſorum licentia, qui, ut Sotum inducerent damnantem Thomiſtas, auſi ſunt Soti locum & detruncare, & corrumpere. Ecce integrum Soti locum. Ubi locutus eſt de Lutheranorum hæreſi, negantium libertatem in operibus ſupernaturalibus, ſubdit: „ Quin etiam ſunt inter Catholicos, quos viva voce dogma hoc aſſerentes, nobiſque reclamantibus, defenſantes audivimus, puta, quod Deus nos vi, & neceſſitate ad ſe pertrahat, ita ut in noſtra nos converſione mere habeamus paſſive, ac receptive. “ Quo in loco, ut conſtat, non loquitur de aſſerentibus utcumque gratiam efficacem, ſed de iis, qui illam volebant vi, & neceſſitate tanta trahere voluntatem, ut ipſa mere paſſive ſe haberet: cujus ultimæ clauſulæ ſubtractione lectoribus illudere voluerunt reprehenſores. Præterea, neque dicit, neque ſignificat, ſe contra illos ſic aſſerentes diſputare ſolitum, ſed ſolum, ſe audiviſſe illos ſuum illud dogma defenſantes, & reclamaſſe. Et ſi daremus, adverſus illos Sotum ſolitum diſputare, Catharinum intelligeremus, contra quem ſæpius diſputavit: cujus tamen opinionibus frequenter adhærentem Laynium, jam ſupra vidimus. Idemque de Jayo, Salmerone, & Caniſio quis ſuſpicari poſſet? utpote cum Jayus, Salmeron, & Caniſius quodammodo ejus diſcipuli fuerint, quos nimirum, teſte Orlandino, lib. *9.* Hiſtoriæ ſuæ Societatis, nu. 52. ipſe Catharinus doctoralibus pileis Bononiæ anno 15*49*. donavit. Denique, ſi Sotus diceret damnatos in Tridentino illos, qui præmotionem phyſicam admittunt, ſeipſum proſcriberet, cum ipſam admittat cap. ſequenti, ut videbimus, ſi prius locum alium ex eodem cap. 15., ab adverſariis citatum, diſcuſſerimus. Habetur ille paulo ante finem capitis, in 4. argumento, quo probat ſuam concluſionem, Dari ſcilicet libertatem in homine ad opera ſupernaturalia, neque voluntatem mere paſſive ſe habere. Illud deſumit ex eo, quod nihil videretur cauſæ reſtare, cur Deus non omnes converteret. „ Quod ſi, inquit, rem forte in æternas cauſas prædeſtinationis retuleris, quia, Cui vult miſeretur, & quem vult indurat; non ſatis quæſtioni feceris. Illa enim eſt cauſa ſuprema, & remota, videlicet, quare hunc ad gloriam deſtinaverit, illum vero minime; ſed tamen præterea cauſa deſideratur proxima, per quam deſtinaverit, unumquemlibet in regnum recipere. Ut enim in infantibus &c. ita in adultis reddenda eſt proxima cauſa, cur, cum duos æque ſit Deus paratiſſimus convertere, præſentiſſimaque utrumque miſericordia aſpiret, hunc trahat, illum non trahat: Quæ revera reddi non poteſt, niſi quod alter præbet aſſenſum, & cooperatur, alter vero minime. “ Vident, quomodo Sotus non dicit, nullam abſolute reddi poſſe rationem, cur ex adultis alter convertatur, altero non converſo, ut non bona fide adverſarii repræſentant; ſed dixit, nullam poſſe aliam reddi *proximam* cauſam; de illa enim formaliter loquitur. Certiſſimum ſiquidem eſt, Deum ſua gratia efficaci non eſſe cauſam operis ſupernaturalis omnium proximam; cum enim opus illud vitale ſit, cauſam proximam vitalem requirit. Quare optime Soto oſtendit, voluntatem noſtram in converſione ſua ad Deum non mere paſſive ſe habere, quia illius operis, quo ipſa convertitur, Deus quidem eſt cauſa aliquo modo remota, & univerſalis in ordine ſupernaturali, per gratiam efficacem; voluntas vero eſt cauſa proxima, atque adeo aliquid agere & ipſa debet: non ergo mere paſſive ſe habet. At mirari hic ſubit, cur reprehenſores in eas partes Sotum voluerint trahere, quaſi diceret, gratiam fieri efficacem ex conſenſu: quo Molina aſſeruit in Concordia diſp. 38. & alibi; cum noverit, Bellarmin. lib. 1. de gratia, & libero arbitrio, cap. 12. aſſerere, illam opinionem eſſe alienam omnino a ſententia D. Auguſtini, immo & a ſententia Divinarum Scripturarum: &, quod caput eſt, ignorare non debeant, generalem Societatem prohibuiſſe, ne Molinæ opinionem in poſterum ſequerentur. Decretum afferunt Tannerus 1. 2. d. *6.* q. 1. d. 5. de gr., & Paulus Leonardus p. 2. n. 55.

Demum, ut fidem auctoris in citando Soto probemus, ſufficiet, locum integrum ex cap. 1*6*. tranſcribere. Sic ergo ibi habet: „ Aut ſumus liberi in hujuſmodi actionibus, ante momentum temporis, quo nos Deus movet, aut præſente motione Dei. Non ante, quia abſque eo movente moveri nequimus. Neque, cum nos ipſe actu movet; quia non ſtat, ipſum nos movere, quin una moveamur; ſunt enim movere, & moveri, ceu actio, & paſſio, correlativa. Ad diſſolvendum argumentum hoc, ſupponenda eſt definitio libertatis. Illa enim cauſa libera eſt, quæ, poſitis omnibus requiſitis ad agendum, poteſt agere, & non agere: cui contraria ratio eſt cauſæ naturalis. Sunt ergo inter Catholicos, qui doceant, poſito concurſu Dei, non eſſe utrumque in poteſtate voluntatis, ſcilicet agere, & non agere. Ob idque ſecundo ajunt, ejuſmodi concurſum non connumerari inter requiſita ad agendum: immo dicunt, ut ſua utamur voce, concomitari actionem ipſam. Horum autem duorum vel utrumque nunquam intellexi, vel neutrum unquam credam. Etenim non eſt dubium, quin concurſus Dei, licet concomitetur, ut ajunt, actionem, ſit nihilominus cuicumque ſecundæ cauſæ requiſitus ad agendum, immo vero, ET NATURA PRÆREQUISITUS: quoniam non ſolum Deus eſt cauſa effectus ſecundæ cauſæ, verum ipſe etiam movet eam ad agendum. At quamvis ille concurſus ſit prærequiſitus, nihilo ſecius, illo poſito, tunc etiam eſt in facultate voluntatis, agere, & ceſſare; alias nullus dabitur requiſitorum numerus, quibus poſitis, voluntas poſſit agere, & non agere, atque adeo neque erit libera: nam ante Divinum concurſum non poteſt agere; & quando ille adeſt, ut iſti ajunt, non poteſt non agere. Solutio ergo dubitationis eſt, quod illo tunc temporis momento, quo Deus mecum concurrit, ſum liber, ut tunc agere renuam. Etenim, dum libere moveor, poſſum in ſenſu diviſo non agere, & tunc ceſſabit concurſus Dei: tametſi in ſenſu compoſito contra ſe invicem pugnent, Deum agere erga me actione illa, & me non agere.

Jam vero Salmeronis ſententiam uno, aut altero loco, quem indicavit Auctor, breviter oſtendamus. Diſputatione 1*9*. in Epiſtolam ad Rom. explicans illa verba Apoſtoli: *Quos præſcivit, hos & prædeſtinavit*, dicit illum terminum, *præſcivit*, ſignificare idem, quod PRÆDILEXIT. *Quos igitur prædilexit, eos* (inquit Salmeron) „ & prædeſtinavit, ideſt, antequam videret opera eorum, amavit illos, non ad aliquod bonum temporale, ſed ad ſupremum cœleſtis gloriæ; nec ad tempus, ſed uſque in finem dilexit eos, ideſt, FIRMA SUA, DT IMMOBILI PRÆDETERMINATIONE, per certa media, quaſi ſerie quadam, inſtituit, ut poſſent ad gloriam pervenire. “ Hæc Salmeron ibi. Et diſp. 21. poſtquam dixit, Deum videre omnia in ſeipſo, tanquam in cauſa, & ipſam æternitatem eſſe nunc unum ſiſtens, ambiens omne tempus, & cuivis differentiæ temporis, & momentis, ſive inſtantibus coexſiſtens, ſubdit: *Illud, quod nondum eſt in ſe, vel in ſuis cauſis determinatis, non poteſt vel Dei oculo determinate videri*. Et paulo poſt aſſerit, Deum non poſſe determinate videre effectus contingentes, niſi vel quando jam ſunt in eſſe, aut quando in cauſis, ad unam contradictionis partem inclinatis, illa pars determinate neceſſitatem acquirit exſiſtendi. Et tandem docet, quod prædeſtinationem ſubſequitur præſcientia certa bonorum operum, & certæ adeptionis finis, & hoc eſt, quia in prædeſtinatione eſt certa Dei voluntas, ut hæc eveniant: quia certa ſunt in ſe, (ratione præſcientiæ in æternitate) & in ſuis cauſis, ideſt in Dei voluntate. Quare & in tota illa Diſputatione 21. propugnat prædeſtinationem ante præviſa merita, & contrarium vocat dogma Pelagianorum, & Calviniſtarum.

Henricus Henriquez cap. 4. de ultimo fine hominis, §. 1. litt. A. loquens de ſententia aſſerentium, propoſitiones de futuro, in ſigno rationis, antequam concipiatur ulla Divinæ voluntatis prædeterminatio, veras eſſe, & præſciri in ſeipſis: *Et quaſi*, inquit, *rem novam ſe inveniſſe, putant; nam in hac antiqua controverſia non confugiunt univerſaliter Patres, & veteres Theologi ad conditionatam præſcientiam*. Ac mox §. 2. *Hæc ſententia non eſt neceſſaria, pro aſſerenda hominis libertate, & in multis deficit*. In Commentario lit. C. *Hæc diſputatio*, inquit, *de præſcientia futurorum conditionatorum, a nobis* (ideſt Jeſuitis) *ante* 20. *annos excitata eſt, &* CONTRA VOTUM NOSTRUM *ſuſcepta eſt in Italia ſententia, de qua in textu*. Vide eundem ibidem lit. L. M. & cap. 5. §. 4. ac *6.* & cap. 11, & tandem cap. 14. §. 4. & *6.* ubi agit de gratia efficaci.

Tertium, de quo circa Theſim 2*6*. conqueruntur, eſt, quod Auctor provocaverit ad Bellarminum ſincerum, & non adulteratum: dicunt eſſe calumniam, quæ ipſam quoque petit Eccleſiam, in Bellarmino Hæreticos hodieque triumphantem. Deinde nullibi exſtat integer alius ab illo, qui communiter circumfertur. Igitur ille non eſt adulteratus. Demum id conſtat, inquiunt, ex ea, quam poſtremis annis fecit, operum ſuorum recognitione, ex juramento Cardinalis de Monte, & ex Teſtamento Bellarmini, quo publice declaravit, ſe in ea ſententia mori, in qua & vixiſſet: quæ eſt doctrina Societatis. Hæc illi.

Quod de calumnia, Eccleſiam impetente, afferunt, longe a veritate abeſt. Eccleſia ſuos triumphos habet, utpote Columna, & firmamentum veritatis, ab omni privatorum periculo, & lapſibus ſecretos, & independentes.

Verum ad Bellarminum veniamus, quem in his præſertim, de quibus agitur, adulteratum fuiſſe, teſtantur Fuligattus, & Sylveſter Petra-Sancta in Vita Cardinalis Bellarmini, lib. 2. cap. 5. p. 100. editionis Latinæ Antverpienſis, ubi narrant, modeſtiam Eminentiſſimi hujus Senatoris maxime tunc apparuiſſe: *Quando*, inquiunt, *volumina Controverſiarum, diſpoſita, ut in lucem edi poſſent, non modo æquanimiter, (ſicut ipſemet deinde Benedicto Juſtiniano teſtatus eſt) ſed cum hilaritate etiam paſſus eſt, a Patribus Societatis in Germania, quoad pauculas opiniones, immutari, in ſpem fructus inter hæreticos uberioris*. Hæc ibi.

Ex quibus manifeſtiſſimum fit, immutatas in Bellarmino nonnullas opiniones, & alias in eorum locum repoſitas, ex Bellarmini ſenſu non deſcendentes; idque ea ſpe, ut fructus uberior inter hæreticos haberetur, hoc eſt, ut illis, non Bellarmini, ſed Germanicorum correctorem opinionibus, fortius hæretici pervincerentur, & ad Eccleſiam traherentur.

Verum, ſi adhuc noſſe Lector deſiderat, quænam fuerint illæ opiniones, quas loco genuinæ mentis Bellarmini, in ejus controverſias intruſerunt, legat eoſdem Auctores in cap. ultimo libri tertii; quo loco referunt, eos, qui Societatis præerant, ſententiam Molinæ a Societate defendendam, deliberaſſe ea potiſſimum ratione, *Quia*, inquiunt, *judicabatur inprimis idonea ad noſtri ævi hæreſes pervincendas*. Profecto, ſi liceat ex his duobus locis arguere, habebimus præmiſſas, etiam in forma ſyllogiſtica pene recte diſpoſitas, ad inferendum hoc conſequens, Bellarmini opera in his,

quæ ad hanc ſpectant materiam, fuiſſe adulterata, ſive immutata. Nam ex primo loco habemus, correctores Germanos illa immutaſſe, in ſpem fructus inter hæreticos uberioris, hoc eſt, ſubſtituiſſe illas opiniones, quæ viſæ ſunt magis idoneæ, ut facilius Hæretici convincerentur, & convicti ad fidem redirent. Atqui tota Societas, aut ſaltem illi, qui ei præerant, exiſtimarunt, opiniones Molinæ eſſe ad hoc ipſum magis idoneas. Igitur opiniones Molinæ Bellarmini Operibus interſeruere. Cujus rei non leve aliud argumentum eſt, quod narrant iidem lib. 3. cap. 4. pag. 547., Bellarminum, jam morti proximum, coram publico ſcriba profeſſum, ſe dediſſe veritati, quæ in libris Controverſiarum aſſeruerat, neque primam ſententiam ullatenus mutaviſſe. Si ergo teſtes habeamus, aſſerentes, ipſum a ſententia Molinæ, & Leſſii procul abfuiſſe, immo contrariam publice docuiſſe, profecto conficietur, alias, quæ in libris Controverſiarum leguntur, eſſe ſuppoſititias. Teſtes vero habemus oculatos, & auritos, Doctores Academiæ Lovanienſis, una cum Auditoribus, qui Bellarmini dictata publice Lovanii excepere. Hi in Epiſtola, Cenſuræ adverſus Leſſium præmiſſam, antequam Bellarmini Opera ederentur, & a Germanis correctoribus mutarentur, teſtificati ſunt, Bellarminum contrariam Molinæ, ac Leſſio ſententiam publice Lovanii prælegiſſe: Ergo, ſi nunquam mutavit ſententiam, neceſſum eſt, ipſiſſimam illam in Controverſiis expoſuiſſe. Quare nec ſeipſum mendacio inquinavit, quando aſſeruit, ſe ab ea, quam in Controverſiis explicarat, opinione non diſceſſiſſe, quia videlicet adverſantem Molinæ placitis ibi docuerat, ſed eam nobis Germani correctores jam ſuffurati ſunt, ac Molinæ dogmata ejus loco alicubi repræſentarunt. Verum, ut nihil occultum, quod non reveletur, vindicavit Deus veritatem, imprimis quidem ipſorum Patrum Societatis confeſſione, deinde Lovanienſis Academiæ teſtimonio, & (quod caput eſt) quibuſdam veræ ſententiæ particulis, quæ correctorum Germanorum, Deo ſic permittente, diligentiam effugerunt: invenimus enim non pauca in Bellarmini Operibus, prout exſtant, quæ a Molinæ ſenſu in præcipuis capitibus multum abhorrent. Et, ut unum e multis proferamus, non negant adverſæ partis aſſeclæ, ſuæ ſententiæ de ſimultaneo, non prævio concurſu, Almainum ſubſcribere in Moralibus, cap. 1. & 2. Illum enim quamplures in ſuas partes eo loci citant, ut Suarez lib. 1. de concurſu Dei cum voluntate, cap. 14. Ruvius 2. Phyſ. quæſt. 8. num. 79. & alii. At vero ipſius Almaini ſententiam, eo loci explicatam, hac in parte confutat Bellarminus de gratia, & libero arbitrio, lib. 4. cap. 14. *Falſum eſt*, inquit, *quod Almainus dicit, concurſum Dei non eſſe de prærequiſitis*. Denique in editione Lugdunenſi apud Pillehotte anno 1593. aliqua habentur circa hanc materiam, quæ non exſtant in editione Pariſienſi anni 1608., & e contra, ut videre poterit Lector ad finem cap. 14. lib. de gratia, & libero arbitrio.

Plura alia ſuppetunt argumenta tam apertæ veritatis, Bellarminum longe aliter, quam Molinam, in his ſapuiſſe; ſed illa in alium locum ſervamus. Solum hic dicimus, Bellarminum, qui erat vir facilis, atque optimæ indolis, & cui, e Societate aſſumpto, Societatis gloria cordi erat, noluiſſe, aperta poſtmodum mentis ſuæ teſtificatione, Patres olim ſuos deprimere.

XXVII. THESIS QUÆST.

SEntentia, diſtinctius tradita in Catechiſmo Tridentini, eſt ipſiſſima mens ejuſdem; cum ſit compoſitus ab iis, qui ſenſum Concilii noverant, tamquam ſupplementum, ad inſtruendos Parochos de iis, quæ plebem docere debeant. Sed ſententia docens prædeterminationem phyſicam, & ideo negans Scientiam-mediam, diſtinctius traditur in Catechiſmo, [1] *qui ſic habet*: Non ſolum autem Deus univerſa, quæ ſunt, providentia ſua gubernat, atque adminiſtrat, verum etiam quæ moventur, & agunt aliquid, intima virtute ad motum, atque actionem ita impellit, ut, quamvis cauſarum ſecundarum efficientiam non impediat, præveniat tamen, cum ejus occultiſſima vis ad ſingula pertineat, &c. *Reſpondent, Catechiſmum non eſſe magnæ auctoritatis, utpote compoſitum a tribus Patribus Ord. Præd., & a Pio V. ex eodem Ordine approbatum.*

Nihil iſta reprehendunt.

XXVIII. THESIS QUÆST.

SEd contra primo; quia, cum Delrio, in Præfat. ad l. Diſquiſitionum 1. *edit. Lugdunenſis, hoc effugium ſcripſiſſet, juſſit Pontifex, illam expungi, tanquam ſanctæ Sedi injurioſam; nec tamen eandem tradere poſtea deſtiterunt, ut conſtat ex variis auctoribus. Deinde actio mandata magis tribuitur mandanti, utpote cauſæ principali, quam mandatario* [2]. *Sed Catechiſmi hujus compoſitio eſt actio mandata a Tridentino. Ergo illi, non Patribus his, debet tribui: quare etiam Catechiſmus Tridentini dictus eſt.* [3] *Ad hæc, qui juſſu Judicis aliquid facit, non cenſetur, dolo malo facere, quia parere neceſſe habet* [4]. *Sed hi Patres piiſſimi, erudititiſſimi, toti Societati amiciſſimi,* [5] *qui Tridentino interfuerant,* [6] *ante ortam vel minimam litigii umbram, juſſu Tridentini hunc Catechiſmum perfecere. Ergo non debent cenſeri, dolo malo feciſſe.*

Theſim 28. ex duobus carpunt: alterum eſt, quod Auctor non citarit eos, qui reſpondent, Catechiſmum Romanum non eſſe magnæ auctoritatis: alterum vero, quod dixerit, Delrium tale effugium ſcripſiſſe in Præfatione Diſquiſitionum Magicarum 1. editionis Lugdunenſis, quam poſtea Pontifex juſſerit expungi; quia, inquiunt, nulla in prima illa editione apud Pillehotte Lugduni 1604. eſt ſpecialis Præfatio, quæ non reperiatur in omnibus aliis.

Nos ſane vix poſſumus dicere, quoſnam Auctor voluerit indicare: novimus tamen, Camerarium 2. p. ſelectarum diſputationum philoſophicarum, quæſt. 9. dub. 2. num. 3. §. *Probant ſecundo*, meminiſſe cujuſdam Moriſani (quem Jeſuitam fuiſſe, ex duobus evincit) eumque, refert, præfata adverſus Catechiſmum exceptione uſum. Idem, nobis audientibus, præſtitere non pauci alii in Collegiis Societatis Pariſienſi, Tholoſano, Burdigalenſi, & aliis; eodemque effugio nonnullos Catechiſmi locum evaſiſſe, refert Hyacinthus Choquet, qui etiam factum Delrii narrat in tract. De mixt. aquæ in Calice, cap. 13. Cujus auctoris opus (quod, Viſcera Deiparæ erga Ordinem Prædicatorum [7], vocavit) non alia de cauſa arbitramur proſcriptum eſſe, quam, quod con-

(1) 1. *p.* 1. *artic. Symb fidei n.* 22. (2) *Reg.* 73. *de reg. juris in* 6. *c.* 1. *de procur. cap. Quicumque de ſentent. excomm. in* 6. *lib. qui mandat. ff. de ſolut. lib.* 1. §. *quoties ff. de vi arm. l. qui juſſu ff. de reg. juris.* (3) *Ex ſeſſ.* 14. *c.* 7. *ex ſeſſ. ult. in continuatione ſeſſ.* (4) *Reg.* 24. *de reg. juris in* 6. (5) *Orland. hiſt. ſuæ Societ. l.* 1. *num.* 1. *l.* 10. *num.* 18. *l.* 11. *n.* 38. *l.* 14. *n.* 33. *Sacchinus hiſt. ſuæ Soc. l.* 2. *n.* 33. (6) *Inde PP. Tridentinorum.* (7) *Mariæ Deiparæ in Ordinem Prædicator. Viſcera Materna exhibet Hyacinthus Coquetius*, Idonee corrigatur. Index lib. prohibit.

contra prohibitionem Urbani VIII. anno 1625. quædam ſcripſiſſet, quæ miraculi ſpeciem præferebant; cum tamen non eſſent ab Eminentiſſimis Patribus diſcuſſa, & a Summo Pontifice approbata. Hanc vero unicam fuiſſe proſcriptionis cauſam, vel ex eo colligimus, quod eodem tempore liber, quædam veluti mira inſignium Patrum Societatis geſta etiam continens, eadem ratione proſcriptus ſit. De Delrio itaque nihil amplius dicemus, donec vera prima Lugdunenſis editio in manus noſtras inciderit: ſuſpicamur enim, auctorem, ſicut & Choquetium, non hæc dixiſſe abſque fundamento.

XXIX. THESIS QUÆST.

REſponſa prudentum, quibus de jure reſpondendi a Principe poteſtas facta eſt, pleniſſimam auctoritatem ſortiuntur, perinde ac ſi ab ipſis Principibus conſtituta fuiſſent. [1] *Quanto magis liber, ab iis compoſitus, quibus nedum conceſſa facultas, ſed impoſita eſt neceſſitas per mandatum? Acceſſit auctoritas Pii V.* [2] *& Gregorii XIII.* [3] *qui toti Concilio Tridentino interfuerat,* [4] *qui Patribus Societatis favebat plurimum.* [5] *Hinc factum eſt, ut is Catechiſmus, tamquam legitimus Concilii Tridentini fœtus, a ſupradictis Conciliis Provincialibus receptus ſit,* [6] *quibus aderant pluſquam viginti ex Præſulibus Tridentinis,* [7] *& inter illos Gregorius XIII.* [8] *& ab ipſis Patribus Societatis,* [9] *etiam in propriis Regulis* [10].

XXX. THESIS QUÆST.

DOctrina D. Auguſtini, & Divi Thomæ, in materia de gratia, & libero arbitrio, fuit recepta in Tridentino, quia Auguſtini doctrina circa hoc eſt fides Eccleſiæ [11], *& quia Patres Tridentini plurimum utrique Sancto Doctori deferebant, ut videre eſt in Baronio,* [12] *& Payva de Andrade* [13] *qui refert, totum Concilium ſubſtitiſſe in definitione de Ordinatione Sacerdotum in nocte cœnæ, quia aliquis male oppoſuit, id eſſe contra D. Thomam. Conſtat etiam, quia Clemens VIII. edixit, doctrinam D. Thomæ eſſe abſque ullo prorſus errore.* [14] *Atqui doctrina, negans ſcientiam-mediam, & aſſerens gratiam ex ſe efficacem, eſt D. Auguſtini, & D. Thomæ, ut fatentur Molina,* [15] *Conimbricenſes,* [16] *Suarez,* [17] *libellus de ratione Studiorum* [18] *Patrum Societatis, qui habet vim Conſtitutionis: & ita etiam cenſuerunt Academiæ Lovanienſis, & Duacenſis, Cardinalis Baronius, Conſultores Congreg. de Auxiliis, Clemens VIII. & Paulus V. & hinc patet ad quæſtionem.*

Irruunt conglobatis interrogationibus in Theſim ultimam n. 40., nam n. 39. nihil, quod momenti ſit, aſſerunt.

Ubinam, inquiunt, Clementis VIII. & Pauli V. Judicium?

Reſp., Paſſim in Actis elucere, haberi apud D. Le Boſſu, Doctorem Sorbonicum, c. 2. in 7. & 8. notas, & alibi ſæpe; colligi ex Fuligatto, & Sylveſtro Petra-ſancta lib. 3. Vitæ Bellarmini, cap. ult.

Ubinam Conſultorum?

Reſp., Haberi ex Actis, ex D. Le Boſſu, ex Memoriali PP. Societatis, exhibito Clementi VIII., ex Narratione D. Franciſci de Penna; & ex parte fatetur Panlus Leonardus Jeſuita p. 1. n. 19. ſub finem.

Ubi Baronii?

Reſp. Ex P. Matthæo, & ex tomo 6. Baronii, ſatis conſtare.

Quis dedit libello Societatis vim Conſtitutionis?

Jam reſponſum eſt, Congregat. quintam generalem. Et ſane mirum eſt, reprehenſores id ignorare; quod familiariſſimum eſſe deberet.

Quis in eo libello legit unquam caput de delectu opinionum?

Jam diximus, vel caput, vel tractatum, vel paragraphum haberi; nec repetenda ſunt ſuperius dicta.

Num pudet quæſitorem, citare Suarem lib. 1. de concurſu, c. 11. n. 7.?

Minime pudere debet; quia veriſſimum eſt, Suarem eo loci fateri, D. Thomam admiſiſſe prædeterminationem phyſicam, in q. 3. de potentia art. 7. ſed poſtea retractaſſe. En verba Suaris. *Colligo, D. Thomam, Doctorem factum, omiſiſſe, & retractaſſe in* 1. *p. ſententiam illam de virtute fluente* &c. *Nec diſcurſus, quo in illa q.* 3. *de potentia utitur D. Thomas, eſt efficax.*

Num puduit, citare Molinam ultimo membro Concordiæ?

Nequaquam profecto. Immo potius eos, qui adverſus PP. Eccleſiæ, præſertim Auguſtinum, parum reverenter loquuntur, pudere debuiſſet. Jam verba Molinæ retulimus, qui non dicit, Auguſtinum ſibi favere, niſi conditionate, ſi ea de re fuiſſet conſultus: abſolute vero illum impugnat, ut eſt evidens.

Num puduit, Conimbricenſes citare 2. Phyſ. cap. 7. q. 13. art. 1.?

Certe non debuit pudere: quia quamvis eo loco non loquantur de gratia efficaci; nihilominus ibidem philoſophicum fundamentum gratiæ phyſice prædeterminantis D. Thomæ attribuunt. Dicunt enim: *Diſcutienda ſe offert celebris opinio D. Thomæ, Capreoli, Ferrarienſis, & aliorum, exiſtimantium, omnes cauſas ſecundas, antequam operentur, accipere a Deo influxum quemdam, & motum, qui ſit quaſi eſſe intentionale virtutis Divinæ, quo ad promendas actiones excitentur, eo modo, quo artium inſtrumenta, ut dolabra, & ſecuris, præviam motionem a fabro recipiunt, cum ad opus conficiendum applicantur.*

Ad 41. Theſim unico verbo ſatisfacimus. Tolerantia, & dilatio non eſt adjudicatio proviſoriæ: quare Pontifices proviſoriam non adjudicarunt. Bulla Sixti V., ut diximus, utrique parti imponit ſilentium. Conſtitutio illa Clementis VIII. nulla unquam fuit: Qua enim ratione Conſtitutionem anno 1594. edidiſſet de proviſoria adjudicanda, quando ad ſe cauſam evocabat, & contra Molinam definire parabat? Solum fuit ſublatio interdicti de non prælegenda publice materia de Auxiliis, ut refert Reverendiſſimus Hieronymus Baptiſta de la Nuza in ſua ad Paulum V. epiſtola.

Pau-

(1) *Paragr. ſed neque in conſtit. de conc. digeſt. parag. reſponſa prud. Inſtit. de jure nat. gent. & civil.* (2) *Apud Fab. in præfat. Georg. Eder. in partit. Jacob. Baium Gabutium in Vita Pii V. lib.* 1. *c.* 12. *lib.* 2. *c.* 4. *Ipſe Pius in Brevi ad Man. in Bulla pro reform. Ordin. Ciſterc. & Ordin. Servorum Bull.* 106. *Bull.* 122. *in Brev. ſpeciali; denique ex tit. Catech.* (3) *In Brevi* 583. *Bull.* 48. *ex Conc. Aquilejenſi, ex Poſſev. in Apparatu.* (4) *Ciacconius in Greg. XIII. cum addit.* (5) *Id & Bull.* 15. 36. 39. 51. 52. &c. (6) *Vide Theſ.* 7. (7) *Ex Act. eorund. Concil.* (8) *In Concil. Mediolan.* 1576. *& in ſyn. Diæc. Cremon.* 1584. (9) *Bull. paſſim. Poſſevin. lib.* 6. *c.* 11. 15. *&* 40. *& lib.* 7. *cap.* 12. (10) *Reg. de perf. lect. menſ.* (11) *Ex Conc. Mil. Carth. Arauſic. ex SS. PP. Innoc. Zozim. Bonif.* &c. (12) *Ad* 7. *Martii.* (13) *In ſerm. de laud. D. Th.* (14) *Clemens VIII. in Brevi ad Neapolit.* (15) *In conc. paſſim, & præſertim mem. ultimo* (16) 2. *Phyſ. c.* 7. *q.* 13. *articulo* 1. (17) *lib.* 1. *de conc. cap.* 11. *num.* 7. (18) *Cap. de del. opinionum reg.* 11.

Paulus V. non Conſtitutionem edidit poſt Diſputationes; ſed juſſit Generalibus utriuſque Ordinis, ut epiſtolam tenoris ſequentis ad Provinciales ſcriberent.

In negotio de Auxiliis Divinæ gratiæ ſua Sanctitas ſignificavit tam Diſputantibus, quam Conſultoribus, poſſe illos redire ad proprios lares, ſuoque tempore declarationem fore ut proferret ſuam. Interim ordinavit, idque valde ſerio, ne quis, inter agendum de his materiis, auſit alterutram partem qualificare, vel cenſura notare; ordinando præterea, quod, ſi quiſpiam, ſive ex FF. Prædicatoribus, ſive ex PP. Societatis, in hoc peccaverit, ſeveriſſime puniatur. Intendit enim ſua Sanctitas, quod hæc ordinatio inviolabiliter obſervetur.

Cumque propterea PP. Societatis ſe cauſam lucratos in Hiſpania gloriarentur, juſſit Pontifex, ut ſcriberetur, cauſam illos non eſſe lucratos, ſed dumtaxat Judicium eſſe ſuſpenſum. En litteras, de mandato Pontificis ſcriptas:

Vidi, quas ad me ſcripſit in cauſa de auxiliis, multumque miratus ſum, quod contra intentionem Sanctiſſimi Domini noſtri auſint aſſerere, ac promulgare ſimilia, quia certe veriſſimum eſt, Sanctiſſimum Dominum nihil ea de re decreviſſe: immo vero, cum ſibi definitionem ultimam vindicarit, etiamnum de illa cogitat, contrariumque affirmando, vel ſpargendo in publicum, maxima irrogatur injuria & ipſi perſonæ Sanctiſſimi Domini, & S. Sedi Apoſtolicæ. Et hoc eſt, quod poſſum impræſentiarum certo ſcribere. Si quid contrarium his dicatur, moneat me, ut inobedientes cognoſcantur. Romæ 8. Januarii 1608.

Dum hæc Epiſtola fuiſſet promulgata in Hiſpania, PP. Societatis, illius exemplar Summo Pontifici exhibentes, nullum aliud reſponſum tulere, niſi rem ita ſe habere, ut in præfata epiſtola dicebatur. Quare patet, non fuiſſe illis adjudicatam proviſoriam, ſed dumtaxat ſuſpenſum judicium ob varias cauſas.

Sic olim Pontifex Honorius Primus in cauſa Monotheiitarum diſtulit judicium. Unde & ab hæreticis calumniam paſſus eſt.

Sic Zozimus in cauſa Pelagianorum, ſic alii judicia ſuſpenderunt; nec propterea Hæreticis proviſoriam adjudicarunt. Abſit tamen comparationi invidia: nempe enim nos adverſantem partem proſcribimus; ſed dumtaxat veritatem, ſecluſis fucis rhetoricis, dicteriis, ac ſcurrilibus verbis, quantum modeſte potuimus, defendere conati ſumus; ſi quid hac in parte peccatum eſt, parati emendare, ſicut & de his, quæ diximus, fidem facere. Si litem Patres Jeſuitæ lucrati ſunt; cur in Imagine illa primi ſæculi, ubi, quæcumque ad gloriam Societatis illuſtrandam conferunt, tanto faſtu proſequuntur, nulla prorſus hujus rei mentio habetur? Cauſa Leſſii ibidem ad longum deſcribitur, varii alii caſus, etiam leviores, fuſiſſime referuntur: de hoc negotio, quod per annos viginti totum fere Chriſtianum orbem ſuſpenſum, & exſpectabundum detinuit, ne verbum quidem. Hæc ſi advertiſſent reprehenſores, nunquam, ut narrationis veritatem expugnarent, dixiſſent, ſibi proviſoriam adjudicatam. Nam ſi bene ceſſiſſet, nemo credet, illos ab hac tam glorioſa victoria ſcribenda, promulganda, ornanda, in illo laudum Societatis theatro abſtinere potuiſſe.

Indiculus falſitatum, quæ reperiri probantur in Solutione Quæſtionis.

1. NUm. 1. ad finem ſupponunt, Hiſt. Orlandini non fuiſſe ſcriptam anno 1607. Scriptam fuiſſe, non tamen editam, conſtat ex Biblioth. Societatis litt. O.

2. Num. 2. imponunt Auctori, quod Theſi 9. dixerit, Moliniſtas circa annum 1601. cudiſſe Apologias pro Fauſto: quod falſum eſſe, demonſtratur pag. 306.

3. Ibidem negant, Baronium loqui de Apologiis pro Fauſto. Oppoſitum probatur p. ead.

4. Ibidem negant, dictum Baronii intelligi de Moliniſtis. Contrarium oſtenditur p. 307.

5. Num. 4. & 5. negant, Tuccium ſcripſiſſe Notas in Caſſianum. Probatur tamen p. 306.

6. Num. 7. tribuunt Auctori, quod dixerit, Congregationes habitas bis hebdomada, annis 1599. & 1601. Id falſiſſimum eſſe, declaratur p. 301.

7. Num. 9. negant caſum Valentiæ. Sed probatur p. 313. 314. & 315.

8. Num. 13. dicunt, Cenſuram Lovanienſem factam inutilem Bulla Nuncii Apoſtolici. Contrarium patet p. 285. 286.

9. Num. 14. tribuunt Auctori, quod Leſſium dixerit Molinæ diſcipulum. Oppoſitum conſtat p. 287.

10. Ibidem negant, Leſſium Molinæ diſcipulum fuiſſe. Falſum eſſe declaratur p. ead.

11. Ibidem negant, locum Henriquez intelligi de Leſſio. Falſitatis convincitur pag. 286.

12. Ibidem dicunt, Leſſium fuiſſe impugnatorem Catharini. Vide oppoſitum probatum p. 285. 286.

13. Ibidem dicunt, reprehenſores Leſſii fuiſſe a Sixto V. reprehenſos. Contrarium docet Henriquez citatus p. 285.

14. Num. 15. negant, ſilentium indictum utrique parti a Sixto V. Non eſſe verum, probatur pag. 288.

15. Ibidem ſupponunt, auctorem dixiſſe, quod Generalis Societatis ſolvit Molinam ea ſilentii lege, dando facultatem ad edendam Concordiam. Falſum eſſe, probatur p. 289.

16. Num. 16. dicunt, auctorem aſſeruiſſe, ortam ex Concordia Molinæ diſcordiam anno 1584. Falſam eſſe criminationem, patet ex lect. 6. Theſis. Vide p. 289.

17. Ibid. negant, P. Matthæum dicere, ortam ex Concordia Molinæ diſcordiam. Vide pag. 290.

18. Ibidem negant factum Antonii de Padiglia. Illud probatur p. ead.

19. Ibidem truncant verba auctoris. Vide pag. 291.

20. Num. 17. negant, auctorem alium protuliſſe teſtem natæ diſcordiæ ex Molinæ Concordia ob verba minus reverenter prolata in D. Aug., quam Molinam. Oppoſitum p. 291. 292.

21. Ibidem negant, fideliter repræſentatam Molinæ phraſim. Vide p. 292.

22. Num. 20. negant, totam Societatem ſuſcepiſſe Molinæ defenſionem. Sed verum id eſſe, prob. p. 296.

23. Ibidem id negant haberi ex P. Matthæo. Vide p. ead.

24. Ibidem dicunt, in Congregationibus anni 1601. partes non interfuiſſe. Contrarium pag. 298.

25. Num. 21. aſſerunt, Molinam non negare influxum 1. cauſæ in 2. &c. Oppoſitum p. 301. 302.

26. Num. 22. falſo, & minime ad propoſitum citant D. Thomam p. 304.

27. Num. 23. negant, ſe docuiſſe Pontificem errare poſse. Vide p. 305.

28. Ibidem negant, eſse caput ullum de delectu opinionum in lib. de ratione ſtudiorum, pag. 307. 308.

29. Ibidem negant, in illo Inſtituti Jeſuitarum libro

libro haberi aliquid, quo profiteantur, ſe diſcedere a D. Thoma. Oppoſitum videbis ex Turrian. p. 308.

30. Num. 24. dicunt, Auctorem inducere Clementem, damnantem Jeſuitas inauditos. Falſum patet p. 309.

31. Ibidem dicunt, non fuiſse inchoatas diſputationes, quando Clemens VIII. increpavit illos. Falſum pag. ead.

32. Ibidem dicunt, auctorem referre, damnatam a Conſultoribus Molinæ propoſitionem de virtutibus infidelium. Oppoſitum vide pag. 310. 311.

33. Ibidem indicant, propoſitionem illam haberi in Bulla contra Bajum. Falſum probatur pag. 310.

34. Ibidem eandem dicunt eſse Thomiſtarum, & nominatim Gonçales. Falſum pag. 311.

35. Num. 25. dicunt, omnem propoſitionem Molinæ, quam auctor retulit a Theſi 10. uſque ad 22., aliis, atque aliis modis eſse corruptam. Quare viſum hic, illas propoſitiones ſubjicere, & loca Molinæ, ubi illas docet, afferre.

Non diffitemur autem, citationes marginales, quas affert auctor, quandoque fallere, ſive id contigerit errore typographi, ſive ob varietatem editionum, juxta quam eſt etiam varietas diſputationum, & paragraphorum, ut conſtabit conferenti editionem Concordiæ Ulyſſiponenſem anni 1588. cum Lugdunenſi, ad finem primæ partis anni 1593. apud Joannem Baptiſtam Buiſſon; & hanc cum Antverpienſi anni 1595. apud Joachimum Trognæſium. Nos utemur Lugdunenſi citata, ſupponendo tamen §. *Forte mirabitur*, qui additus eſt in editione Antverpienſi ad membrum 6. diſp. 19. pag. 81. col. 2. in quo §. Profitetur Molina, ſe ſemper amplexatum fuiſse opiniones illas, quas diſp. 14. & 19. dixit, eſse communes Scholaſticorum.

36. I. Propoſitio. Dantur in infidelibus veræ virtutes.

Hanc non negant eſse Molinæ, ut conſtat ex Theſi 24. Illam docet Molina diſp. 5. §. *Ut ad vires* pag. 797. col. 1., lit. E. *Cum ſolo concurſu generali Dei, abſque alio dono, vel auxilio gratiæ, poteſt homo efficere opus bonum Morale, quod fini naturali accommodatum, &, comparatione illius, ſit vere bonum, ac virtutis opus.* Quod etiam extendit ad infideles diſp. 6.

37. II. Poteſt homo viribus naturæ aſsentiri revelatis, ut revelatis.

Molina diſp. 7. §. *Ut ergo*. Verſu, Quod itaque, adjuncto §. pars affirmans p. 770. col. 2. litteris B. C. *In facultate liberi arbitrii eſt, cum ſolo concurſu generali Dei, rebus propoſitis aſſentiri, tanquam a Deo revelatis.*

38. III. Homo edoctus, aſsenſum ſupernaturalem (fidei) eſse neceſsarium, (ad ſalutem) poteſt illum optare, petere, ſe diſponere.

Molina diſp. 43. §. *Ex his* pag. 847. col. 1. littera D. loquens de aſsenſu fidei ſupernaturali, qui exigit actum intellectus, & actum voluntatis, ut ibidem §. præcedenti declaraverat. *Ex his patet*, inquit, *hos duos motus gratiæ, prævenientis, actiones eſſe vitales intellectus, & voluntatis, multumque pendere a libero arbitrio, immo & liberum arbitrium poſſe illos* deſiderare, & petere *a Deo, & quodam modo ſeipſum* aptare, *&* diſponere.

39. IV. Propoſitio. Servanda eſt laus libero arbitrio in receptione gratiæ, ante, & poſt.

Molina diſp. 9. §. *Ut quæ hac*, verſ. licet pag. 776. col. 1. littera B. *Ante receptionem gratiæ, & in ipſa gratiæ receptione, ac poſtea in augmento illius, ſuum locum libero relinquit* (Deus) *arbitrio. Quatenus ipſe auctor eſſet omnium bonorum, omniaque ei accepta referrentur; nihilominus libero arbitrio propria induſtria, & laus ſervaretur.*

40. V. Poteſt homo lapſus elicere contritionem naturaliter.

Molina diſp. 14. membro 1. §. *Negari*, pag. 784. col. 2. littera E. *Negari non poteſt, complurium eſſe Scholaſticorum ſententiam, liberum arbitrium noſtrum, cum ſolo concurſu generali Dei, elicere poſſe, non ſolum actum attritionis naturalem, id eſt dolorem de peccatis, ex Dei timore, cum propoſito amplius non peccandi lethaliter, ſed etiam actum contritionis naturalem, quæ idem propoſitum non peccandi amplius lethaliter includat.* Eam vero eſſe ſuam ſententiam, docet in cit. §. *Forte mirabitur*: immo motivum ſupernaturale eidem actui tribuit, ibidem §. *Ratio*.

41. VI. Homo lapſus naturaliter poteſt diligere Deum ſuper omnia.

Molina diſp. 14. membro 3. §. *Duo quædam*, pag. 789 col. 2. littera B. *Duo quædam colligere licet ex dictis toto hoc membro. Primum eſt, immerito ex doctrina D. Thomæ a. 3. cit. adverſus eundem in 4. loco, membr. 1. cit., communemque Scholaſticorum ſententiam, inferri, dari non poſſe ſolis viribus naturalibus arbitrii noſtri, & concurſu generali Dei, actum abſolutum mere naturalem dilectionis Dei ſuper omnia, qui ad juſtificationem nequaquam ſufficiat.*

42. VII. Homo poteſt naturaliter cuilibet tentationi reſiſtere. Molina tota diſp. 19.

43. VIII. Datur lex dandi infallibiliter gratiam facienti, quod in ſe eſt, ex naturalibus.

Molina diſp. 10. in principio, pag. 776. col. 2. littera C. D. *Inter leges, quas tam ipſe,* (Chriſtus) *quam Pater æternus ſtatuerunt de auxiliis, & donis, quæ nobis Chriſtus promeruit, mere gratis conferendis; una, eaque rationi maxime conſentanea, fuit, ut, quoties ex noſtris viribus naturalibus conaremur facere, quod in nobis eſt, præſto nobis eſſent auxilia gratiæ, quibus ea, ut oportet ad ſalutem, efficeremus, ut ea ratione, dum eſſemus in via, ſemper in manu arbitrii poſita eſſet ſalus noſtra.*

44. IX. Homo lapſus poteſt habere judicium naturale cujuſcunque boni moralis.

Molina diſp. 19. membro 2. *Auctores*, pag. 804. col. 2. littera D. adjuncto §. *Forte mirabitur* cit. *Auctores hujus ſententiæ conſequenter affirmant, nullum eſſe in ſingulari opus bonum morale, mere naturale, quod homo naturæ lapſæ, cum ſolo concurſu generali Dei, non poſſit efficere.*

45. X. Gratia illuminans, & excitans ſufficit ad ſalutem.

Molina diſput. 38. §. *Ex dictis* p. 832. col. 2. littera F. quatenus ibi docet, eandem numero gratiam eſſe prævenientem, excitantem, adjuvantem, & cooperantem.

46. XI. Deus exſpectat noſtros conatus, vel occaſiones.

Molina diſput. 9. §. *Quod hac*, verſu, Etenim quamvis, pag. 776. col. 2. lit. A. *Quatenus ergo excitatio illarum cogitationum, ſine quibus Deus non influit affectum timoris ſupernaturalis, pendet a miniſtris, & conatu Eccleſiæ, atque a libero arbitrio ejus, in quo excitantur, eatenus gratia præveniens voluntatem peccatoris & excitans ad attritionem, pendet ab eiſdem miniſtris, conatuque Eccleſiæ, atque a libero arbitrio ejus, cui confertur. Etenim, quamvis illam Deus non conferat propter illa, quæ antecedunt, nihilominus niſi illa antecedant, conferre illam non ſolet.* Exſpectat ergo Deus, quoad uſque illa anteceſſerint. Illa autem ſunt conatus liberi arbitrii,

bitrii, & occaſiones prædicationis, lectionis, &c. ut ibidem prius expreſſerat.

47. XII. Ad perſeverantiam ſufficit gratia habitualis, & auxilium ſufficiens.

Molina q. 23. art. 4. diſp. 1. membro ultimo, pag. 857. col. 1. littera F. docens, quod cum auxilio, quocum unus non perſeverat, (atque adeo ſufficienti) alter perſeveret.

48. XIII. Actus illi naturales ſupra recenſiti dicunt ordinem ad juſtificationem.

Molina docens, facienti illos actus dari gratiam ex lege infallibili, eoſdemque actus afferens eſſe diſpoſitiones remotas ad juſtificationem 1. p. q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. membro 11. §. *Illud addendum*, verſu, Quin ſicut pag. 354. col. 2. lit. D. & ratione illorum conatuum naturalium, ſalutem eſſe poſitam in manibus noſtris, ut viſum eſt in 8. propoſ.

49. XIV. Conantibus, ex viribus naturæ, Deus dat gratiam, non tamen quaſi ex meritis (&) propter conatus naturales, non tamen tanquam propter merita, ſed tanquam propter occaſiones, Deus dat gratiam.

Molina diſp. 10. in principio pag. 766. col. 2. littera C. dicens: *Quotieſcunque liberum arbitrium ex ſuis viribus naturalibus conatur, præſtove eſt ad conandum totum id, quod ex ſeſe poteſt, tam circa dolorem de peccatis, ac juſtificationem, a Deo conferri gratiam prævenientem, auxiliave, quibus id faciat, ut oportet ad ſalutem: non quidem, quaſi eo conatu dignus efficiatur talibus auxiliis, ullave ratione ea promereatur, ſed quoniam id obtinuit nobis Chriſtus ob ſua merita, & inter leges, &c. & 1. p. q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. membro 11. §. Illud addendum*, verſu, Quin ſicut pag. 354. col. 2. littera D. *propter eleemoſynas, & alia opera moraliter bona*, (quæ fieri poſſe, docet, viribus naturæ, ut ſup. oſtenſum eſt) *facta ab exiſtente in peccato lethali, conſuevit Deus opitulari citius, ac magis uni, quam alteri, ut a peccato reſurgat; eaque ratione hujuſmodi opera non immerito appellari conſueverunt diſpoſitiones remotæ ad gratiam.*

50. XV. Prædeſtinatio omnium non eſt gratuita.

Hanc, intellectam de prædeſtinatione ad gloriam, nemo dubitat, eſſe Molinæ, loco ultimo citato §. *Octava concluſio*, pag. 349. col. 2. littera D. E. F. & §. *Septima concluſio*, ubi illam docet, ſicut & Leſſius, Vaſques, & alii. De prædeſtinatione ad gratiam docet Molina, loco, in præcedenti propoſitione citato, dicens. *Quæ auxilia, & dona confert Deus in tempore, propter aliquem bonum uſum liberi arbitrii antecedentem: eadem ex æternitate conferre ſtatuit propter eundem bonum uſum, præviſum futurum ex hypotheſi, quod hunc, vel illum ordinem rerum condere vellet.*

51. XVI. Liberum arbitrium, & gratia ſunt duæ cauſæ partiales boni operis.

Molina q. 23. art. 4. & 5. diſp. 1. membro *6*. §. *Ad* 1. *harum*, verſu, Porro. Pag. 326. col. 2. littera E. *Supernaturales noſtræ actiones a Deo, ſupernaturaliter influente, & a nobis, tanquam a duabus partibus unius integræ cauſæ, emanant.*

52. XVII. Deus ſe inferit conatibus noſtris.

Molina diſp. 43. §. *Quod ſi quis*. Pag. 848. col. 1. littera C. *Quod ſi quis, intellectu per lumen fidei illuſtrato, cogitet, ſe propter lethalia peccata jus ad ſempiternam fælicitatem amiſiſſe; ignem, & cruciatus ſempiternos, extremamque miſeriam promeruiſſe, naturaliter ex tali cogitatione inſurgere ſolet in voluntate motus timoris Dei, qui adeo peccata deteſtatur, & acerbe punit. Huic autem motui ſolet ſe inſerere Deus, influxu ſupernaturali eum acuendo, ut plus ſtimulet, ac pungat, tribuendoque illi eſſe ſupernaturale ſervilis timoris.*

53. XVIII. Interna vocatio pendet a libero arbitrio. Molina ſup. propoſitione 3. & 11.

54. XIX. Quamdiu ſumus in via, ſalus eſt poſita in manu arbitrii noſtri, quatenus conantibus, ex viribus naturalibus, Deus dat gratiam. Molina ſupra relatus propoſitione 8.

55. XX. Deus leges ordinarias, in donis ſuis diſtribuendis, magna ex parte, uſui liberi arbitrii accommodat. Molina diſp. *9*. §. *Quamvis hæc*, Pag. 774. col. 2. lit. E. expreſſis terminis.

56. XXI. Deus exigit, ut homo faciat, quod in ſe eſt, priuſquam donet fidem.

Molina ſupra relatus propoſitione 11.

57. XXII. Intellectus, proponens voluntati Deum amandum, ut qui pro nobis fudit ſanguinem, ut præmiantem vita æterna, &c. proponit, ut motivum naturale, ut vult.

Molina diſput. 14. membro 1. §. *Ratio vero*, Pag. 786. A. B. C. *Præexiſtente maxime lumine fidei, quo agnoſcimus Deum Conditorem noſtrum, innumeraque, & maxima beneficia tum naturæ, tum gratiæ, quæ in nos contulit, uſque ad proprii ſanguinis in cruce effuſionem; quo cognoſcimus, juſtis ſempiternam fælicitatem, impiis vero ignem ſempiternum, extremamque miſeriam eſſe propoſitam; lethale autem peccatum tam extremum eſſe malum, adeoque Divinam Majeſtatem offendere, ut vel unum ſit ſatis, ut qui illud commiſerit, niſi de eo doleat, ſtauatque, nihil tale deinceps committere, ſupremam amittat fælicitatem, in extremamque incidat miſeriam: procul dubio tam potens eſt hæc cogitatio, ut liberum arbitrium ejus, qui hæc ſibi perſuaſerit, cum ſolo concurſu generali Dei, elicere valeat, intuitu quidem extremorum, in quæ alias incidet, dolorem, ſeu deteſtationem ſuorum ſcelerum, cum propoſito cavendi in poſterum omnia peccata lethalia; in quo conſiſtit attritio quoad ſubſtantiam actus: intuitu vero bonitatis, ac beneficiorum Dei, ſimilem deteſtationem, ac propoſitum, in quibus poſita eſt ratio contritionis, quoad ſubſtantiam actus ſufficientis ad ſalutem, eo quod peculiari impulſu Spiritus Sancti excitata non ſit, nec effecta.*

58. XXIII. Liberum arbitrium præponderare gratiæ in operatione ſupernaturali, collegerunt Conſultores ex eo, quod Molina docet, liberum arbitrium reddere gratiam efficacem, & caſſam diſp. 38. §. *Ex dictis*. Pag. 839. col. 2. litt. F., & alibi paſſim.

59. XXIV. Datur in Deo ſcientia media.

Affirmat Molina diſp. 52. Concordiæ Antverp. quæ eſt diſp. 17. q. 14. art. 13. §. *Triplicem*. Pag. 224. col. 2. B.

60. XXV. Bonus uſus auxiliorum Divinæ gratiæ eſt a libero arbitrio.

Hanc docere Molinam, judicarunt Conſultores ex eo, quod bonus uſus nihil aliud eſſe videtur, quam ipſa efficacia auxiliorum. At vero Molina docet, efficaciam eſſe ex libero arbitrio; loco citato, propoſitione 23. & alibi. Aliæ propoſitiones, quas hic non retulimus, conveniunt cum iſtis, ut patebit attendenti: & ſic patet, in illa unica ſententia, quam proferunt reprehenſores numero 25., ad minus 25. falſitates contineri: quare ſit.

61. Num. 26. Dicunt, depravanda fuiſſe loca Aug., & Viguerii, ne faverent Valentiæ, pag. 313. 314. 315.

62.

62. Num. 28. male tranſtulerunt verba Perronii, pag. 300.

63. Num. *29*. negant, actum fuiſſe ter de ſcientia media. V. p. 319.

64. Num. 32. negant, auctores citatos Theſi 26. ſtare contra ſcientiam mediam. V. p. 323. 324. 325.

65. Num. 33. Ut falſitatis convincant auctorem in citatione Romæi, & Soti, non afferunt loca, ab ipſo allegata, ſed alia, pagina 324. 325.

66. Ibidem, ſumpſerunt objectionem Romæi pro ejus ſententia. Pag. 324.

67. Ibidem, dicunt, Romæum audiviſſe in Trid., quæ ſcripſerat 8. an. ante Trid. p. 324.

68. 69. 70. Num. 34. tripliciter falſificant Sotum. Pag. 326.

71. Num. 35. Negant, Bellarmini Opera eſſe vitiata. V. p. 330.

72. Num. 36. dicunt, mandatum Tridentinum, approbationem Pontificum, &c. nocere, pag. 283.

73. Ibidem, dicunt, Catechiſmum commendari ex falſis. p. 283.

74. Ibidem, negant, Concilium Mediolanenſe 1. ſuſcepiſſe Catechiſmum. pag. 384.

75. Num. 37. negant, Jeſuitas negare auctoritatem Catechiſmi. pag. 333.

76. Num. 40. negant, Clementem VIII., & Paulum V., ut privatos DD., ſtetiſſe contra ſcientiam mediam, pag. 334.

77. Ibidem, negant, Conſultores cenſuiſſe (1) ſententiam Molinæ, pag. 335.

78. Ibidem negant, librum de ratione ſtud. habere vim Conſtitutionis, pag. ead.

79. Ibidem negant, Suar. admittere, præmotionem phyſicam fuiſſe de mente D. Thom. pag. ead.

80. Ibidem negant, Conimbricenſes eandem tribuere D. Th. pag. 336.

81. Num. 41. dicunt, proviſoriam ſibi adjudicatam. V. pag. ead.

82. Ibidem citant Conſtitut. Clementis VIII., quæ nunquam exſtitit, pag. ead.

83. Ibidem citant Conſtitut. Pauli V., quæ nulla fuit, pag. ead.

84. Pro 84. falſitate repone injurias &c. in auctorem, & invenies, falſitates duplo exceſſiſſe num. poſitionum; quibus omnibus hac una ſententia potuiſſet reſponderi:

Falſitatibus, injuriis, dicteriis, &c. propugnari, argumentum mendacii eſt.

XXI.

EXCERPTUM,

Seu Priora Capita

Prolixi contra Molinam Operis,

Domni Jacobi le Bossu, *in Regali, ac Celeberrimo Sancti Dionyſii prope Pariſios Monaſterio Monachi, in Academia Pariſienſi Doctoris Theologi, & in Romanis de Auxiliis gratiæ Congregationibus ſub Clemente VIII. & Paulo V. Conſultoris.*

ANNOTATIO GALLICA (2)

Domni Sancii a Sancta Catharina, Fulienſis Monachi, Operi Præfixa.

Monsieur le Bossu, Religieux de l'Abbaye de S. Denis, & Docteur de Sorbonne, après avoir fait infinis biens en France avec la prèdication, & autres exercices de pietè, & charitè, alla à Rome, durant que vivoit le Pape Clement VIII., où il a demeurè environ trente-cinq ans, & juſqu' à ſon decès, qui fut il y a deux ans, & davantage.

Le Pape Clement le connoiſſant docte, & homme de valeur, & de merite, le fit un des Conſulteurs de la Congregation *De Auxiliis*.

Il a toujours tenu, & defendu l'opinion des Jacobins, touchant la grace contre les Jeſuites. Mr. de Creil, Docteur de Sorbonne, & grand Docteur, qui entroit en la dite Congregation, la tenoit auſſi.

Le Pape Clement dècedè, Mr. Le Boſſu voulut s'en retourner en France, & en ſon Abbaye; mais le Pape Paul V., qui l'avoit connu en la Congregation *de Auxiliis*, & l'avoit en grande eſtime, luy dit, qu'il vouloit, qu'il demeurât à Rome, & qu'il l'abſolvoit de toutes les obligations, qu'il avoit de retourner à ſon Abbaye: & dès lors il luy donna quelques petites penſions ſur aucuns Benefices, pour s'entretenir, & pouvoir de diſpoſer à ſa volontè du peu, qu'il avoit, alors que Dieu l'appelleroit de ce monde.

Il aimoit grandement le bien, & avoit un grand ſentiment de la foy, & veritè de l'Egliſe...

Il entroit en aucunes Congregations de celles, qui ſont en la Cour de Rome, & a eu long tems le gouvernement ſpirituel des Religieuſes du Monaſtere de S. Suſanne de Rome.

Il ètoit tenu de ceux, qui le pratiquoient, & connoiſſoient, pour un Saint perſonnage.

On le voioit quelquefois pleurer lès Egliſes, ou il alloit prier; tant il avoit le coeur tendre, & devot.

En l'âge de quatre-vingts ans, auquel il eſt dècedè, il jeûnoit les Carêmes, & les autres jours, comme il les jeûnoit en l'âge de trente ans. Peu d'annès devant ſon trèpas il viſitoit les ſept Egliſes à pied, qui eſt un chemin de cinq lieues.

(1) *Deeſt forte: hanc fuiſſe.* (2) *Latine verſa habetur* §. *Præfationis* 7.